

alios proposuerunt fines bonorum, quos utilitate, aut voluptate dirigunt; tamen in rebus quaerendis, explicandisque naturis aetates conterere videamus. Ergo hoc quidem apparet, nos ad agendum esse natos.

Tusc. I. 24, 25, 26. Quid illa tandem? num leviora censes? quae declarant inesse in animis hominum divina quaedam: quae si cernerem, quemadmodum nasci possent, etiam, quemadmodum interirent, viderem. Nam sanguinem, bilem, pituitam, ossa, nervos, venas, omnem denique membrorum, et totius corporis figuram videor posse dicere, unde concreta, et quo modo facta sint. Animum ipsum, si nihil esset in eo, nisi id, ut per eum viveremus, tam natura putarem hominis vitam sustentari, quam vitis, quam arboris. Haec enim etiam dicimus vivere. Item, si nihil haberet animus hominis, nisi ut appeteret, aut fugeret, id quoque esset ei commune cum bestiis. Habet primum memoriam, et eam infinitam, rerum innumerabilium. Quam quidem Plato recordationem esse vult superioris vitae. Nam in illo libro, qui inscribitur Meno, pusionem quendam Socrates interrogat quaedam geometrica de dimensione quadrati. Ad ea sic ille respondet, ut puer: et tamen ita faciles interrogationes sunt, ut gradatim respondens eodem perveniat, quo si geometrica didicisset. Ex quo effici vult Socrates, ut discere nihil aliud sit, nisi recordari. Quem locum multo etiam accuratius explicat in eo sermone, quem habuit eo ipso die, quo excessit e vita: docet enim, quemvis, qui omnium rerum rudis esse videatur, bene interroganti respondentem, declarare, se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere: nec vero fieri ullo modo posse, ut a pueris tot rerum atque tantarum insitas, et quasi consignatas in animis notiones, quas *ἐννοίας* vocant, haberemus, nisi animus, antequam in corpus intravisset, in rerum cognitione viguisset. Quumque nihil esset, ut omnibus locis a Platone disseritur, (nihil enim ille putat esse, quod oriatur et intereat, idque solum esse, quod semper tale sit, quale *τὸ εἶναι* appellat ille,